

*Bartolomeo de Busca vende a
Guglielmo di Sinopoli la metà
della terra di Bruzzano Vecchio*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Bartolomeo de Busca vende a
Guglielmo di Sinopoli la metà
della terra di Bruzzano Vecchio*

1322-07-22

In nomine Domini nostri Iesu Christi Amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo secundo. Regnante Domino nostro Roberto Dei gratia Hierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Forcalquerii, ac Pedemontis Comite, Regnorum vero eius anno quartodecimo feliciter Amen. Mense Iulii die vigesimosecundo eiusdem quinte inditionis apud civitatem Neapolis in hospitio magnifici et egregii Viri domini Bartholomei de Capua Locutete et Prothonotarii Regni Sicilie

Nos Marinus Carazolus de Neapoli miles eodem anno presenti quinte inditionis Annalis Iudex ipsius civitatis Neapolis, Laurentius Ioannes de Simeone de Traiecto, Regius publicus per totum Regnum Sicilie Regia autoritate Notarius, et subscripti testes ad hoc specialiter vocati, et rogati videlicet Dominus Ioannes Grillus de Salerno Iuris Civilis Professor, Locumtenens Prothonotarii Regni Sicilie, Dominus Riccardus Scyllatus de Salerno, Dominus Marinus Carazolus de Neapoli Decretorum Doctor, Dominus Adenulfus Cuminus de Neapoli Iuris Civilis Professor, Magister Afronus de Capua Notarius et familiaris Regis, et Andreas de Conca resenti scripto publico notum facimus, et testamur. Quod Constitutis in nostra presentia nobilibus et egreggiis viris Guglielmo de Sinopulo Illustris Domini Ducis Calabrie Cambellano ex una parte, et Bartholomeo de Busca ex alia, consentientibus in me predictum Iudicem, ut in suum cum scirent ex certa eorum scientia in suum Iudicem, in hac parte non esse, meam in hac parte expresse iurisdictionem prorogantibus. Dictus Bartholomeus de Busca in feudum

tenens, et possidens a Regia Curia communiter, et pro indiviso cum Guglielmo de Busca Patruo suo terram quam Curia Regia habuit in Veteri Bruzzano sitam in Iustitiariatu Calabrie, idem scilicet Bartholoameus integram medietatem, predicto Guglielmo de Busca medietatem rei quam possidebant, non vi, non dolo, vel metu coactus, seu suasionibus inductus vel aliter circumventus, sed sponte, publice, bona fide, a presenti die spontanea voluntate vendidit, alienavit, et per fustem tradidit predicto Guglielmo de Sinopulo pro se, et suis heredibus, et successoribus universabilibus et singularibus ementi, et recipienti huiusmodi medietatem suam terram prefate eidem venditori pleno iure spectantem cum hominibus, vassallis, possessionibus, terris cultis et incultis tenimentis, iurisdictionibus, operibus, angarariis, perangarariis, servitiis, redditibus, bonis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, silvis, pasquis, pertinentiis singulis ad medietatem dicte terre quocumque modo spectantibus, et toto integro statu eius, pro Unciis auri centum viginti quinque in carolenis argenteis sexaginta per Unciam computatis pleni, et iusti ponderis, quas uncias centumviginti quinque in predictis carolenis argenti predictus Bartholomeus venditor in nostri presentia personaliter confessus fuit se integraliter eas recepisse, habuisse, et tradidisse a Guglielmo de Sinopulo memorato, ut a modo, et semper in perpetuum predicta medietas dicte terre eidem Guglielmo de Sinopulo vendite cum predictis hominibus, vassallis, possessionibus, terris cultis, et incultis, tenimentis, iurisdictionibus, operibus, angarariis, et perangarariis, servitiis, redditibus, bonis, aquariis, aquarumque decursibus, molendinis, silvis, pasquis, et pertinentiis singulis ad medietatem dicte

terre quocumquam iuribus spectantibus, sit proprietas libera et absoluta predicti Guglielmi emptoris, et de corpore heredibus et successoribus eius, vel per eum, vel heredes suos data, alienata, et tradita fuerit ad habendum, tenendum, fruendum, donandum, vendendum, alienandum, dominandum, promittendum, disponendum exinde quidquid sibi, et suis heredibus deinceps perpetuo facere placuerit, sine contradictione predicti Bartholomei venditoris, vel heredum eius, vel alicuius pro parte ipsorum in perpetuum, quam medietatem terre praedictae, cum predictis possessionibus, terris, tenementis, et omnibus aliis supradictis. Et idem Bartholomeus venditor ex nunc pro eius nomine, et pro parte ipsius Guglielmi de Sinopulo, et heredum eius se constituit possidere, donec idem emptor, vel heredes sui, seu alius pro parte ipsorum ipsius terre possessionem acceperint corporalem, quam capiendi, et recipiendi deinceps ipsi Guglielmo emptori, suisque heredibus, vel aliis pro parte ipsius auctoritatem, et potestatem plenariam, ex nunc tribuit et concessit venditor supradictus. Insuper dictus Bartholomeus venditor per stipulationem legitimam et solemnem promisit, et se, et heredes suos solemniter obligavit predicto Guglielmo de Sinopulo pro se, et suis heredibus legitime stipulante medietatem terre predictae cum omnibus, et singulis supradictis defendere, disbrigare, antestari, exalumniare, ac de evictione teneri in iudicio, vel extra iudicium omnibus personis ecclesiasticis, collegio, seu universitate, et aliis quibuscumque emptorem ipsum, suosque heredes super proprietate, ac possessione, et iuribus medietatis dictae terre in iudicio, vel extra iudicium de iure molestantibus, aut impetentibus, seu molestare, aut

aliquo modo impetere volentibus, et nullo tempore exinde controvenire per se vel per alios, vel aliam submissam personam ad eodem venditore, vel suis heredibus mediate vel immediate causam habentem. Quinimmo ipsam venditionem, dationem, et traditionem dicte terre cum omnibus et singulis supradictis pro se, vel per heredes suos omni tempore rata, grata, et firma habere, et tenere, et contra non facere, vel venire aliqua ratione, vel causa dicto, facto, vel opere in iudicio, vel extra iudicium de iure, vel de facto publice vel occulte, sub poena Unciarum auri centum medietate ipsius poene solvenda Regie Curie, et reliqua medietate ipsi Guglielmo de Sinopulo, et dictis heredibus, et successoribus suis, quam poenam pro medietate ego predictus Notarius, ut persona publica pro parte Regie Curie, et pro reliqua medietate pro parte dicti Guglielmi, heredum, successorum suorum fuit idem Guglielmus emptor, eodem Bartholomeo venditore id permittente pro se, et heredibus suis sollemniter, et legitime stipulatus. Que poena toties quoties committitur quoties in premissis, vel aliquo premissorum in toto, seu in parte per eundem venditorem fuerit contraventum; predicta nihilominus subscripta, et eorum singula rata maneant, atque firma ante refectione damnorum, et expensarum, et interesse predicti Guglielmi de Sinopulo emptoris, dictorum heredum et successorum eorum, sub poena soluta, et non soluta, aut gratiose remissa, presens instrumentum cum omnibus, et singulis in eo constitutis nihilominus in suo robore perseveret, pro qua poena damnis et interesse dicti Guglielmi, vel dictorum heredum, et successorum eius quoties penam ipsam committi contingit de predictis, et subscriptis, vel aliquorum

ipsorum fuerit contraventum. Idem Bartholomeus de Busca, venditor, obligavit eidem Guglielmo, et dictis heredibus et successoribus suis, et mihi predicto notario pro parte Regie Curie omnia bona ipsius Bartholomei venditoris habita, et habenda, licita, et illicita, et omnia alia, etiam si specialem requirerent expressionem, et obligationem ad pignorandum, et vendendum propria auctoritate ipsius Guglielmi de Sinopulo, et dictorum heredum et successorum suorum, sine iussu iudicii, et Decreto Curie, et quod pignoraturum fuerit habeant sibi idem Guglielmus et dicti heredes, et successores sui et dicta Curia ad faciendum exinde quod voluerint, nullo expectato termini spatio a lege, vel consuetudine introducto. De quibus expensis, damnis, et interesse credi debeat assersioni ipsius Guglielmi de Sinopulo, seu heredum, et successorum suorum, ut dictum est, et quam sic inter partes ipsas stetit specialiter, et convenit, et pro maioris cautele suffragio que prodesse negotio, non officere consuerit, dictus Bartholomeus venditor, eidem Guglielmo de Sinopulo ementi, et recipienti Sacramentum ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, prestitit ipsi Guglielmo de Sinopulo pro se, et dictis heredibus, et successoribus suis, omnia et singula predicta, et subscripta omni tempore, et firmiter attendere, et complere inremissibiliter, seu inviolabiliter observare, et nullo modo exinde contrafacere, vel venire, sub poena et obligatione premissis.

Actum inter partes prefatus, pro se, et successoribus earum, expressum quod predicta poena pro iurii per poena pecuniariam, et e converso una per aliam non tollatur, nec suspendatur, et ambe, coniunctim vel separatim valeant intentari, et exigi cum effectum,

ut una electa, altera non tollatur, nec suspendatur. Et nihilominus idem Bartholomeus venditor ex certa sua scientia renunciavit exceptioni de non numerata pecunia dolo, malo, metu, et in factum exceptioni rei alio modo geste quod dictum est beneficio iuris quo subvenitur venditoribus receptis iura dimidium iusti pretii conductioni ob causam, vel cause indebite ob turpam causam, et omni alii iuri Canonico, et Civili, consuetudinario, scripto, et non scripto, Longobardo, Constitutionibus et Capitulis Regni, et iuribus per que cavetur generales renunciaciones non valere, seu factas non tenere certioratus prius dictus venditor de beneficiis exceptionibus, iuribus predictis, et effectibus, earum et nihilominus idem Bartholomeus venditor eidem Guglielmo de Sinopulo pro se, et dictis heredibus et successoribus suis cessit, et transtulit omne ius, et actionem ipsi venditori competentia, et competitura in predicta medietate dicte terre, cum omnibus, et singulis predictis, et in omnibus vassallis, hominibus, bonis, et aliis iuribus supradictis dicte medietatis pro quoscumque bona ipsa iura alia, et dicti homines, et vassalli, ac redditentes sint, seu reperiantur. Itaque ipse Guglielmus de Sinopulo, et dicti heredes et successores sui omnia bona, iura, homines, vassallos, et redditentes medietates dicte terre ipsorum alienata, distracta, aut qualitercumque, et per quoscumque occupata possint ad dictam medietatem dicte terre revocare, reservato in omnibus et singulis supradictis assensu, et Beneplacito Domini Regis, sive Illustris Domini nostri Ducis Calabrie Regii Vicarii Generalis, et servitium quod pro dicta medietate Regie Curie debetur. Unde ad futuram memoriam, et predicti Guglielmi de Sinopulo et successorum eius cautelam factum est exinde presens

publicum instrumentum per manus mei notarii supra dicti signo meo signatum subscriptione predictis iudicis et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Quod scriptum: Ego prefatum Laurentius Ioannes de Simeone de Traiecto Regis et publicus per totum Regnum ipsum Sicilie Regia Autoritate Notarius, pro premissis omnibus, et singulis rogatus interfui, et ipsum meo consueto signo signavi. † Ego Marinus Carazolus miles qui supra iudex subscripsi. † Ego qui supra Ioannes Grillus de Salerno predictis interfui, et me subscripsi. † Ego Marinus Carazolus Decretorum Doctor qui supra praedictis interfui, et subscripsi. † Ego Adenulfus Ciminus de Neapoli Iuris Civilis Professor supra dictis interfui, et subscripsi. † Ego Taffurus de Capua Notarius et familiaris Regis testis interfui, et subscripsi. † Ego qui supra Andreas de Conca testis predictis interfui, et subscripsi.